



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. Explicatur magis præcedentis Sectionis doctrina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

SECTIO III.

Explicatur magis præcedentis Sectionis doctrina.

53. **D**IFFICULTAS I. Quid dicendum in dubio; quo quis dubitat an ex suo consilio fuerit subsecutum damnum? Sensus quæstionis est, Petrus dedit consilium Paulo, ut homicidium, aut furtum committeret: vel furem, aut homicidam sociavit, vel alio quovis modo adscivit, dubitat tamen, an Paulus absque suo consilio furtum, vel homicidium præstaret, aut præstiterit, tenetur ne Petrus de damno secuto?

54. Prima sententia affirmat, teneri ad restitutionem damni subsecuti. Ita *Ananias cap. Ad audientiam, de Homicid. n. 10. Angel. l. 1. ff. de eo, per quem, vers. Ultimò est. Hippol. singul. 218. & l. 1. §. dicens ff. de signariis, Bald. in l. data opera, C. qui accusare non possunt, Decius regul. consilii 47. ff. de regul. jur. num. 9. Felin. cap. 1. de officio delegat. vers. Utrum autem, num. 13. & cap. Sicut dignum, de Homicid. num. 12. conclus. 3. Covar. in Clem. Si furiosus 2. part. §. 2. num. 1. Mascard. de probat. tomo 1. conclus. 419. num. 9. & alii quos citat & sequitur P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 17. & lib. 1. decal. cap. 10. num. 44. P. Lugo de just. d. 19. sect. 1. num. 21. & alii. Probatum primò, quia in dubio nemo præsumitur delictum admittiturus ex l. Merito ff. pro socio. & tradunt Felin. & Decius. ubi proximè; ergo homicida ille, aut fur non debet præsumi admittiturus delictum, nisi stare tuum consilium, vel adjutorium.*

55. Probatum secundò, quia in proposito eventu constat de actione injusta consulentis apta ad causandum damnum, & etiam de damno causato; ergo possessio est contra consulentem, aut adjutantem; teneturque de damno secuto, quandiu non probat, se ex suo consilio non illud causasse; dum enim non probat, judicandus est, causasse, ut docent *Bal. Ananias, & Angel. ubi supra.*

56. Secunda sententia docet, in proposito eventu non teneri de damno secuto. Ita videtur tenere *D. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 7. Sylvest. verb. Restitutio 3. quæst. 6. disto 2. Medin. C. de Restit. quæst. 7. Navarra lib. 3. de Restit. cap. 4. dub. 4. n. 2. P. Henric. lib. 14. de Irregular. cap. 3. n. 4. Villalob. tomo 1. sum. tr. 1. diff. 20. n. 9. Sayr. lib. 10. in clavi tract. 2. cap. 8. num. 1. P. Rebel. de just. part. 1. lib. 2. quæst. 14. sect. 1. num. 5. & 7. Tabiena verbo Restitutio, quæst. 23. n. 24. P. Saverb. Restitutio, num. 25. Diana part. 4. tract. 3. resol. 28. & alii. Probatum, quia in dubiis, præsertim in materia justitiæ, melior est conditio possidentis ex l. si ob turpem causam, ff. de condit. ob turp. causam; ergo &c.*

57. Tertia sententia media asserit, restituendam esse partem damni subsecuti pro ratione dubii perseverantis. Ita *P. Mol. rom. 3. de just. d. 736. n. 6.* Probatum primò, quia qui causam damni prout sic apposuit, debet æquiparari ei, qui cum fide dubia incepit possidere rem alienam; sed hic, facto examine, & dubio perseverante, debet partem pro ratione dubii restituere, ut supra diximus; ergo &c. Secundò, quia si constat, unum ex tribus, qui singuli sufficientem causam apposuerunt, damnum intulisse, & ignoretur quis ex illis sit, debent singuli restituere plus minusve pro ratione dubii, & pro majori, aut minori probabilitate, quod ipsi damnum intulerint in effectum; ergo &c. Tertiò, quia habens aliquid alienum, & ignorans, quis ex tribus sit dominus, tenetur restituere dando singulis plus, minusve pro ra-

tionem dubii, ut docent *Cajet. 2. 2. q. 62. art. 3. ad 3. & Sor. lib. 4. de just. quæst. 7. art. 1. ad 3.* ergo etiam si dubitetur quis ex duobus damnum intulerit, consulesne, an alius, singuli debent restituere pro ratione dubii.

Nihilominus judico posse hacin re sententias istas conciliari, si cum distinctione loquamur: unde: Dico 1. In casu dubii (quod verè dubium sit,) an ex tua actione, sive consilio, damnum subsecutum fuerit, nullo modo teneris satisfacere. Ita videntur sentire Doctores supra citati pro secunda sententia, & tenet *P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 4. num. 3.* Probatum, quia tunc damnum non est certum; ergo non teneris illud satisfacere; neque enim æquum est te obligari ad satisfactionem certam pro damno incerto.

Dico 2. Cum ex eo, quod consuleris, aut associaveris furem, vel homicidam, tibi moraliter constare debeat, causam fuisse damni illati, teneris prout sic de damno illato. Ita consentio dum Doctores primæ sententiæ, & tenet *P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 4. num. 3.* Probatum, quia communiter prout sit consulentes, & associantes sunt cooperatores; ut tradit *Carbon. tract. de Restit. q. 66. vers. Quartum;* ergo sic consulenti incumbit onus probandi suo consilio non fuisse causam damni; siquidem cum constet de malo consilio, præsumitur causam fuisse, ut ex *Felin. Decio, & Mascard. sup. cit. probat P. Sanch. cit. lib. 1. decal. cap. 10. n. 44. ad medium.*

Hinc colliges primò, ut quis in proposito eventu dubius esse possit de damno dato ex suo consilio, debere habere rationes efficaces, quales sunt, si ille, qui consilium, & delictum admisit, erat inimicus capitalis; aut necem antea minatus fuerat; aut omnia ad homicidium necessaria præparaverat; aut si asserat, se neque ad actus substantiam, neque ad accelerationem fuisse motum de illius consilio, dummodo ipse sit fide dignus, aut tales conjecturæ concurrant, ut prudenter possit arbitrari fidem illi adhibendam esse. Ita *P. Sanct. ex cit. proximè, & lib. 2. de Matr. d. 41. num. 17. P. Henric. lib. 14. de Irregular. cap. 16. num. 3. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 23. num. 242. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 4. n. 3. Sayr. tract. 1. de Censur. lib. 7. cap. 3. n. 2. Joan. Sanch. d. 42. n. 14.*

Colliges secundò, hæc intelligenda magis esse de consulente, quàm de associante; hic enim cum immediatius cõcurat ad delictum, rarè vel nunquam dubius esse poterit de damno à se dato, cum dubitare non possit, concurrisse saltem præbendo animum principali operanti. Ita *P. Pal. cit. Tertiò,* sic consulentem, aut aliquo alio modo cooperantem ad damnum injustè dandum, teneri restituere, licet postea consulat restitutionem, ita ut concipiat, eum, qui fuerat causa principalis, fecisse propositum restituendi, si hic propositum mutet, & non restituat; siquidem eò ipso, quod ad suam injustam cooperationem damnum injustum attingit, tenetur illud reparare casu, quo causa principalis illud opere non reparavit. Ita *P. Mol. tomo 3. de just. d. 736. num. 8.*

Difficultas 2. Utrum depositarius, vel commodatarius, si sit dubius, an ex sua culpa depositum, vel commodatum perierit, teneatur ad restitutionem? Negativè. Ita *P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 18. P. Henriquez lib. 14. de Irregular. cap. 17. sine. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 23. num. 243. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 4. num. 4.* Probatum, quia non est præsumendus delictum commississe, nisi probetur; ergo &c. Advertes tamen, si res depositarii appareant incolumes, præsumi dolum ex cap. 2. de deposito, & ibi *Abb. num. 2.* sicque depositario incumbere

incumbere onus probandi, casu perisse, aut non posse simul servare res suas, & depositas ob imminens incendium, sicque maluisse suas, etsi viliores, incolumes servare; tunc enim cessat præsumptio contra ipsum, etiam in foro exteriori. Ita Mascard. de probat. verb. depositarius, conclus. 509. & alii.

63. Difficultas 3. In dubio, an quis sit legitimus, naturalis, vel spurius, qualis debeat reputari? Prima sententia communis asserit in dubio de legitimitate, reputandum esse legitimum: in dubio autem, an sit spurius, vel naturalis, habendum esse naturalem. Ita Lopez lib. 1. tit. 14. part. 2. P. Vasq. 1. 2. d. 66. cap. 8. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 24. num. 245. Sayr. in clar. lib. 1. cap. 13. num. 19. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 19. q. 7. Villalob. tomo 1. sum. tract. 1. diff. 10. fin. Menocb. de Arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 194. num. 32. Mantica de conjectur. ult. volum. lib. 6. cap. 18. n. 33. Probatur prima pars, quia nemo damnandus est, & puniendus ob culpam dubiam; siquidem pœna certa, non dubio, sed certo peccato debet adhiberi; atqui si filius ille haberetur illegitimus, sicque ut talis excluderetur ab hæreditate, & ipse, & ejus parentes punirentur pœnâ certâ, quin eorû culpa esset probata; ergo &c. Confirmatur ex Regul. In pari delicto, 65. de regul. jur. in 6. ibi: In pari delicto, vel causâ, potior est conditio possidentis; sed quamdiu quis non probatur illegitimus, est in possessione suæ legitimitatis; ergo &c.

64. Dicunt in cap. Illud. de Cler. excomm. ministr. præcipi in dubiis viam tutiorem esse eligendam; tutius autem videri hujusmodi filium illegitimum reputari, ne si talis sit, alii ab hæreditate patenâ defraudentur. Sed contra primò, quia citato textui in materia justitiæ per illam aliam regulam satisficit: In pari delicto, vel causâ, potior est conditio possidentis. Secundò, quia si hujusmodi filium habeatur illegitimus, cum possit legitimus esse, & contrarium non probetur, etiam poterit hæreditario jure spoliari, cum tamen nemo in dubio puniri debeat; sicque legitimus habendus est, ut videtur definitum in l. filium, ff. de iis, qui sunt sui, vel alieni jura.

65. Probatur secunda pars, quia in dubio præsumi debet, quod honestius est, ut docet Bald. in l. filium, proximè cit. num. 11. & ex l. Miles, ff. de Adult. §. Defuncto; sed honestius est hujusmodi filium legitimum, aut saltem naturalem reputare, quam spurium, & adulterinum; ergo &c.

66. Secunda sententia docet in dubio de illegitimitate reputandum esse illegitimum. Ita Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 5. n. 8. Matienzo lib. 6. tit. 8. lib. 5. novæ compil. Gloss. 3. Mascard. de probat. verb. illegitimus, conclus. 782. & tom. 2. conclus. 1090. Probatur, quia matrimonium non præsumitur, nisi probetur; siquidem est quid factum; factum autem non præsumitur, nisi probetur per text. in cap. Cum Joannes, de fide instrum. §. Verum. & latè probat Mascard. tomo 1. de probat. conclus. 732. sed non potest esse legitimus, nisi stante matrimonio; ergo non præsumpto matrimonio, non est legitimus præsumendus.

67. Nihilominus utraque sententia conciliari potest, si cum distinctione loquamur. Undè: Dico 1. Si filius sit Reus, & possessor, nec tamen possideat contra juris præsumptionem, reputandus est legitimus. Ita Doctores primæ sententiæ, & tenent Azvedo lib. 5. novæ recopil. tit. 8. lib. 9. à num. 14. P. Pal. d. 3. de conscient. punct. 5. num. 3. Probatur, quia tunc Actori incumbit onus probandi; ergo quamdiu non probat contrarium, pro possidente standum est ex Regul. in pari, cit. 65. de regul. jur. in 6. & potius Reo, quam Actori favendum est ex Regul. Cum sunt, 11. de regul. jur. in 6.

Dico 2. Si filius actor sit, & contendat hæreditatem adire, etiam si existat in possessione, cui tamen jus resistit, non est legitimus habendus. Ita Doctores secundæ sententiæ, & tenent Azvedo, & P. Pal. cit. Probatur 1. pars, quia tunc ei incumbit legitimitatem probare, cum sit fundamentum suæ intentionis; ergo quamdiu non probat habendus est illegitimus. Confirmatur ex Regul. Cum sunt, 11. & Regul. In pari, 65. de regul. jur. in 6. cit. quæ in proposito eventu contra illum faciunt; ergo &c. Probatur 2. pars, quia licet sit in possessione, tali possessioni jus resistit, ut supponimus; sed quando jus resistit, possessio non suffragatur ex cap. Ad decimas, de restit. spoliat. in 6. ergo neque tunc habendus est legitimus, nisi probetur.

Hinc colliges primò, si filius naturalis à patre sit institutus, præteritis ascendentibus, avus verò ab eo petat hæreditatem, sufficere, etiam si filius in possessione honorum sit missus, si probeat esse avum legitimum, & Reo incumbere probationem filiationis naturalis; siquidem jus resistit, filium naturalem hæredem esse. Ita Matienzo cit. & cum eo P. Pal. cit. num. 3.

Secundò, si non sit filius, sed quis præterit ordinis, aut Prælaturam, tunc reputandum esse legitimum, quoties de contrario non fuerit diffamatus, ex cap. Transmissa, & cap. Pervenit. Qui filii sint legitimi. Imò neque obligandum esse se juramento purgare: sicut neque doctorandum, aut licentiamdum debere gravari ad jurandum super natalibus, & minùs ad probandum, nisi sit diffamatus: si tamen sit, haberi illegitimum, sicque excludendum à beneficio, sive possideat, sive non, debereque se purgare; siquidem tunc subit vicem Actoris, cui incumbit qualitatem probare ex cap. Accedens, de purgat. canonic. & ibi Abb. num. 4. Joan. Andr. in cap. Veniens, de Præbyter. non baptizat. Matienzo cit. Mascard. de probat. verb. illegitimus, conclus. 882. num. 8. & 13. P. Pal. cit. num. 4.

Difficultas 4. Si mulier statim à morte mariti, alteri nubat, & intra novem menses à secundo matrimonio contracto pariat, cujusnam filius ille sit reputandus? Varia sunt de hac re Doctorum judicia. Quidam dicunt, inspicienda esse signa conceptionis; quæ si non appareant, standum consuetudini mulieris tempore, quo parere consuevit; & si hoc non appareat, standum judicio Medicorum, & obstetricum, neque levem conjecturam esse matris asserionem. Ita Sylvest. verb. Filii, quest. 17. Mascard. de probat. conclus. 788. num. 24. Bart. in l. Gallus, ff. de Liber. & posthum. num. 13. Argum. l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciend. Alciat. de præf. regul. 3. præf. 37. num. 15. & alii.

Nonnulli asserunt, videndum esse, cuinam proles assimiletur, viventi ne, an defuncto marito; licet enim assimilatio contingere possit ex cogitatione mulieris tempore conceptus, cum tamen id rarè contingat, & regulariter à generante procedat, in præsentem casum per conjecturas procedatur, sufficit assimilatio, ut faciat probabilitatem, cum in pluribus vera sit. Ita Alciat. cit. Alii affirmant, si nullo modo possit probabiliter venire in cognitionem veritatis, debere reputari filium ejus, in cujus domo natus sit, aut ex utriusque hæreditate ei providere, cum non appareat, quinam magis obligetur, filiusque, & mater non debeant subsidiis privari. Ita Sylvest. cit. & alii. Tandem alii docent, debere judicari, quod filio fuerit favorabilius, sicque illius filium reputandum esse, qui fuerit ditior. Ita Decius in cap. Per tuas, de probat. vers. Quartus, Mascard. supra.

Nihilominus casu, quod supra dictæ conjecturæ non

non tollant dubium, neque appareat, ex quo veritas agnoscat, reputandus est filius eius, in cuius domo natus est, sive illius, qui est in possessione matrimonii, Ita *P. Vasq.* 1. 2. d. 66. cap. 8. initio. *P. Sal.* 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 24. num. 245. *P. Pal.* d. 3. de Conscient. punct. 5. num. 7. Probatur, quia in dubio possessio actualis debet prevalere, ut tradit *Bald.* in l. Si mater, C. de suis, & legitim. hered. ergo &c.

SECTIO III.

Quadam circa presentem doctrinam deciduntur.

74. **D**IFFICULTAS I. Ex quibusnam signis debeat quis reputari filius legitimus? De hac re latè, & optimè *Panorm.* in cap. Per tuas, de probat. *Barr.* in l. quidam quasi ff. de probat. *Covar.* in Epitom. cap. 8. §. 3. num. 9. p. 2. *Menoch.* de Arbitr. casu 89. à num. 60. *Sylvest.* verb. Filii, quest. 12. *Mascard.* tomo 1. de probat. verb. Filiatio, conclus. 788. qui ad cognoscendum aliquem esse filium legitimum, & talem reputandum, varia adducunt signa.

75. Primum igitur signum est, si quis nascatur ex uxore in domo mariti cohabitantis simul, etiam si uxor tempore conceptus adulteret ex l. filium, ff. de his, qui sunt sui. ex cap. Per tuas, de probat. & ibi *Abb. Felin.* & alii. cap. Transmisit, qui filii sunt legitim. ex l. Miles, ff. ad l. Iulian. de Adulter. §. defuncto, l. si Mater, C. de suis, & legitim. *Alciar.* de presumpt. regul. 3. presumpt. 37. *Covar.* cit. num. 8. & alii apud ipsum. Probatur primò, quia presumendum est, quod filio est favorabilis, & honorabilis; sic autem presumitur, dum legitimus reputatur. Secundo, quia huiusmodi presumptio est in favorem matrimonii; ergo asserenda est.

76. Secundum signum est, si ipse ut filius à parentibus, & parentes ut tales à filio tractentur, qui tractatus est ita efficax, ut infirmari non possit negatione parentum, etiam jurata. Probatur, quia confessio filiationis à parentibus facta, revocari non potest ab ipsis in præjudicium filii per *Gloss.* in cap. Per tuas, de probat. ergo multo minus revocari ab ipsis poterit tractatus, utpotè efficacior. Ita *Abb.* in cap. Per tuas cit. num. 3. & 4. *Felin.* ibid. *Bald.* in l. Non ignorat. C. qui accusari non possunt. *Covar.* cit. num. 6. *Menoch.* cit. à num. 6. *Mascard.* cit. à num. 3. & *Gloss.* in cap. Transmisit, qui filii sunt legitimi.

77. Tertium signum est nominatio, sive filius à parentibus nominari, dummodo talis nominatio serio facta sit, aut coram Notario, sive in iudicio, aut testamento. Probatur, quia tunc constitueret filium in quasi possessione filiationis; ergo ut talis reputatus idus est, quamdiu ab adversario, cui incumbit, contrarium non probatur. Ita *Gloss.* in cap. Michael, de filiis presbyter. *Abb.* in cap. per tuas, cit. num. 8. *Decius* ibid. num. 32. *Menoch.* cit. num. 28. *Cavar.* 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 3. n. 7. *Mascard.* supra cit. & plures apud ipsum.

78. Quartum signum est fama, & communis populi opinio, dummodo aliis conjecturis, & adminiculis fulciatur. Probatur, quia fama solum semiplenè probat ex cap. 1. de Appellat. & cap. Veniens 2. de Testib. ergo alia requiruntur, ex quibus integra probatio coalescat. Ita *Abb.* in cap. Transmisit, qui filii sunt legitimi, *Felin.* in cap. per tuas, cit. *Covar.* cit. num. 9. *Mascard.* cit. conclus. 791. à n. 7.

79. Quintum signum est, si à patre ut filius instituat. Probatur, quia institutio, licet sit communis

filio, & extraneo, taliter tamen facta; pater filium tractat ut filium, & ratione hujus tractatus, & institutionis optimè filiatio probatur; alioqui nulla esset institutio ex l. Si pater, l. Neque apud, C. de hered. institutend. ergo reputandus est filius, quamdiu contrarium non probetur.

Multa alia signa adducunt Doctores, præsertim *Mascard.* cit. ut scriptum manu parentis, quo illum filium nominat: educatio, & alimenta præstita, & similia, quæ si singula dubium non tollant, & probationem sufficientem non faciant, si tamen plura concurrant, possunt illam sufficienter constituere.

Difficultas 2. Filius illegitimus, cujus pater in dubio est, à quo debeat alimenta accipere? Quæstio est quando duo illicite cognoverunt eandem feminam, & nullæ sunt conjecturæ, ex quibus præsumi possit, cujus sit proles, sed cum sit certum unum ex illis duobus esse illum patrem, in dubio tamen est qualis illorum sit verus pater: queritur igitur à quonam illorum debeat proles alimenta accipere? Hæc eadem quæstio excitari potest in ordine ad obligationem restituendi damna, quando unus, aut duo cognoscunt uxoratam, ex quâ nata est proles, dubitatur tamen, quisnam sit ejus verus pater, maritus ne an adulter: hic, an ille ex adulteris? De quibus vide *P. Less.* lib. 2. de just. cap. 10. à dub. 6. *P. Sanch.* lib. 4. consil. cap. 3. à dub. 1. *P. Lugo* de just. d. 13. à num. 19. Pro præsentibus tamen difficultatibus.

Prima sententia affirmat, utrumque debere concurrere ex parte ad alimenta præstanda; siquidem certum est, esse eorum filium; ergo habet jus petendi ab eis alimenta, saltem pro ratione dubii. Ita *P. Mol.* d. 103. num. 3. *P. Vasq.* 1. 2. d. 66. cap. 8. n. 47. *P. Sal.* 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 24. n. 247. *P. Azor.* tomo 1. lib. 2. cap. 19. quest. 8. *P. Pal.* d. 3. de Conscient. punct. 5. n. 15. *Villalob.* tomo 1. sum. tract. 1. diff. 20. sine, *Diana* part. 4. tract. 3. resol. 31. *P. Turrian.* tomo 1. opuscul. 10. d. 5. dub. 3. *Martinez* 1. 2. tomo 1. q. 19. art. 6. dub. 5. conclus. 2. & alii. Hanc tamen suam sententiam variè variè limitant.

Primo, quando filius respectu unius est spurius, & respectu alterius est naturalis, præsumendum esse naturalem, sicque ab eo solo patre debere alii; siquidem in dubio benignius est pro filio judicandum; ergo non est damnandus, neque alendus, ut spurius. Ita *P. Vasq.* & *P. Sal.* Non tamen placent, quia in proposito eventu positivè non constat, quod sit naturalis, aut spurius, sed utrumque est sub dubio; ergo sicut non debet condemnari ut spurius, neque etiam declarari ut naturalis; sed solum positivè non repellatur in casibus, in quibus spurii repelluntur; & non admittitur positivè in casibus, in quibus naturales admittuntur. Ita *P. Lugo* de just. d. 13. n. 25.

Secundo limitant, quando alter ex parte sua non concurrat; tunc enim, dicunt, debere alterum concurrere in solidum ad alimenta præstanda. Ita *P. Azor.* & *Villalob.* Non placent, quia filius non habet ad quemlibet ex illis integrum jus; ergo non debet alius in integrum solvere. Ita *P. Pal.* *P. Sal.* & *Dian.* cit.

Tertio limitant quando alter est nobilis, & ditior; alter ex plebe, & pauper; tunc enim, dicunt à nobiliori, & ditiori plus esse exigendum; siquidem hic meliora alimenta tenetur filio suo dare, sicque ab illo filius plus potest exigere. Ita *P. Pal.* *P. Sal.* & probabile dicit *Dian.* cit. Non placent, neque enim videntur coherentem procedere, nam quando filius respectu unius patris est naturalis, dicunt solum hunc teneri ad alimenta, quia filius reputandus est ex favore naturalis: quando autem unus est nobilis, & ditior, dicunt utrumque debere concurrere, aut